



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum sit peccatum speciale? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

cet voluntati ; sed illa quæ ex negligentia prouenit .  
Vt enim dicit Seneca in tertio de Beneficijs \* , Ap lib. 3.c. 1.  
paret illum non s̄epe de reddendo cogitasse, cui obre- in fin. ill. 2.  
psit obliuio .

Ad tertium dicendum , quod debitum gratitudinis  
ex debito amoris deriuatur , à quo nullus debet velle  
absoluti . Vnde quod aliquis inuitus hoc debitum de-  
bet , videtur prouenire ex defectu amoris ad eum ,  
qui beneficium dedit .

## ARTIC. II.

*Vtrum ingratitudo sit speciale peccatum ?*

**A**D secundum sic proceditur . Videtur , quod in-  
gratitudo non sit speciale peccatum . Quicum-  
que enim peccat , contra Deum agit , qui est summus  
benefactor . Sed hoc pertinet ad ingratitudinem . Ergo  
ingratitudo non est speciale peccatum .

561

3. q. 88 a.  
4. et q. d.  
22. q. 1. a.  
2. q. 1.

¶ 2 Præterea , Nullum speciale peccatum sub di-  
uersis peccatorum generibus continetur . Sed diuersis  
peccatorum generibus potest aliquis esse ingratus : pu-  
ta , si quis benefactori derrahat , si quis furetur , vel ali-  
quid aliud huiusmodi contra eum committat . Ergo  
ingratitudo non est speciale peccatum .

¶ 3 Præterea , Seneca dicit in 3. de beneficijs \* ,  
Ingratus est qui dissimulat : ingratus qui non reddit : lib. 3.c. 1.  
ingratissimus omnium qui oblitus est . Sed ista non vi- circa me-  
dium.

videtur ad unam peccati speciem pertinere . Ergo in-  
gratitudo non est speciale peccatum .

S E D contra est , quod ingratitudo opponitur gra-  
titudini , siue gratiæ , que est specialis virtus . Ergo est  
speciale peccatum .

**R E S P O N D E O** dicendum , quod omne vitium  
ex defectu virtutis nominatur , qui magis virtuti op-  
ponitur : sicut illiberalitas magis opponitur liberali-  
tati , quam prodigalitas . Potest autem virtuti gra-  
titudinis aliquod vitium opponi per excessum : pu-  
ta , si recompensatio beneficij fiat , vel pro quibus art. prec.  
non debet , vel citius quam debet , vt ex dictis pa- et q. 106.  
ret † . Sed magis opponitur gratitudini vitium , quod ar. 4.  
est

\* q pres.  
ART. 6.

est per defectum: quia virtus gratitudinis (vt supra habbitum est\*) in aliquid amplius tendit. Et ideo propriè ingratitudo nominatur ex gratitudinis defectu. Omnis autem defectus, seu priuatio speciem fortitur secundū habitum oppositum. Differunt enim cæcitas & surditas, secundum differentiam visus & auditus. Vnde si cut gratitudo vel gratia est una specialis virtus, ita etiam ingratitudo est unum speciale peccatum. Habet tamen diuersos gradus secundum ordinem eorum quæ ad gratitudinem requiruntur. In qua primum est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundum est quod laudet & gratias agat: tertium est, quod retribuat pro loco & tempore, secundum suam facultatem. Sed quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione: ideo primus ingratitudinis gradus est, vt homo beneficium non retribuat. Secundus est vt dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse. Tertium & grauiissimum est, quod non recognoscat, siue per obliuionem, siue quocumque alio modo. Et quia in affirmatione opposita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuat mala pro bonis: ad secundum, quod beneficium vituperet: ad tertium, quod beneficium quasi maleficium reputet.

Ad primum ergo dicendum, quod in quolibet peccato est materialis ingratitudo ad Deum, in quantum scilicet facit homo aliquid, quod potest ad gratitudinem pertinere. Formaliter autem ingratitudo est, quando actualiter beneficium contemnitur. Et hoc est speciale peccatum.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet formalem rationem alicuius specialis peccati in pluribus peccatorum generibus materialiter inueniri. Et secundum hoc in multis generibus peccatorum inuenitur ingratitudinis ratio.

Ad tertium dicendum, quod illa tria non sunt diues se species, sed diuersi gradus unius specialis peccati.

A R.